

mini apparuit in somnis Joseph in Ægypto.

Añã. Surge et accipe Puerum et Matrem ejus, et vade in terram Israel.

Añã. Defuncti sunt, qui quærebant animam Pueri.

℣. Consurgens Joseph accepit Puerum et Matrem ejus. **℟.** Et venit in terram Israel.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio viij. Cap. ij.

IN illo tempore : Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi. Et reliqua.

Homilia sancti Petri Chrysologi.

Serm. clj. de fuga Christi in Ægyptum.



Odierna lectio movit corda, concussit viscera, stupere fecit auditum. Ecce, inquit, Angelus Domini apparuit Joseph in somnis, dicens : Surge, accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum. Cui nascenti virginitas non resistit, non obviat ratio, contradicit natura : potestas quæ, quæ vis, quod

discrimen prævaleret, ut compelleretur ad fugam? Accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum. Reverentius diceret : Vade in Ægyptum; ut esset profectio, non fuga, voluntas, non necessitas : iudicium, non metus, humanum saltem, si non divinum : at nunc mandatur fuga, mandatur cœlitus, mandatur per Angelum, ut videatur cœlum timor ante tenuisse, quam terram.

℟. Nesciens Mater Virgo virum, peperit sine dolore : * Salvatorem sæculorum, ipsum regem Angelorum, exsulem Virgo lactabat ubere de cœlo pleno.

℣. Domus pudici pectoris templum repente fit Dei : intacta nesciens virum, verbo concepit Filium. — Salvatorem.

Lectio viij.

ACcipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum. In Ægyptum fuge, a tuis ad extraneos; ad sacrilegos a sanctis, a templo tuo ad dæmonum fana; ad idolorum patriam e regione sanctorum. Sic Judææ non sufficit latitudo, sic angustatur sæculi diffusa possessio, non ca-

pit secretum templi, sacerdotum turba non suscipit, non abscondit numerositas investigabilis cognatorum, ut ad deitatis latebras profana Ægyptus conducatur : sic res urget, sic non vacat intuere veritatem virginis, laborem Matris, sexus pudorem, periculum in Joseph, longinquitatis fatigationem, exitium totius domus.

℟. Et nunc quid tibi est in via Ægypti? * Revertere virgo Israel ad civitates tuas. **℣.** Usquequo dolens avertaris? — Revertere. **Gloria Patri.** Revertere.

Lectio iv.

FRatres, quod fugit Christus, fuit mysterii, non timoris : fuit liberatio, non periculum Creatoris : divinæ virtutis fuit, non fuit fragilitatis humanæ : non fugit propter auctoris mortem, sed fugit propter sæculi vitam. Nam qui mori venerat, quare fugeret mortem? Christus totam causam nostræ salutis occiderat, si se parvulum permisisset occidi. Christus venerat, ut quos præceptis docuerat, firmaret exemplis:

et ipse faceret, quæ facienda mandaverat, et visu probaret possibilia, quæ impossibilia videbantur auditu. Venerat, ut mundo notitiam suæ deitatis infunderet, et humani generis ignorantiam auferret. Omnia hæc utique perissent nobis, si Christus, cum esset in cubilibus, non fugisset.

Te Deum laudamus. 20.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Ecce Angelus Domini * apparuit in somnis Joseph.

2. Surge et accipe * Puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum.

3. Esto ibi * usque dum dicam tibi.

4. Futurum est enim, ut Herodes quærat Puerum ad perdendum eum.

5. Consurgens Joseph, * accepit Puerum et Matrem ejus nocte, et secersit in Ægyptum.

Capitulum.

Is. xix.

ECce Dominus ascendet super nubem levem, et ingrediatur Ægyptum, et commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus. et cor Ægypti tabescet in medio ejus.

Hymnus.

VEri Tonantis unicum,
Enses caventem per-
fidus,
Cultu relicto núminum,
Ægypte, præsta sóspi-
tem.

Heródis hunc immánitas
Abire cogit éxsulem;
Sed dura nos Christi fuga
Iter salutis édocet.

Virgo parens dulcíssima,
Quæ mille per pérícula
Dulcem feréndo párvu-
lum,

Invicta cursum cóncifis.
Fac nos, solútis vínculis,
Quæ tendit astus dæmo-
nis,

Per plana, per et áspera,
Nostrum sequámur Prin-
cipem.

Jesu, tibi sit glória,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

¶ Gaude et lætare Ægy-
pte. **R.** Quia in médio tui
Sanctus Israel.

Ad Bened. Aña. Defún-
cto Heróde, ecce Angelus
Dómini apparuit in som-
nis Joseph in Ægypto di-
cens : Surge et accipe
Púerum et Matrem ejus,
et vade in terram Israel;
defúnti sunt enim, qui
quærébant ánimam Púeri.

Oratio.

Protéctor in te speran-
tium, Deus, qui Uni-
génitum tuum Redem-
ptórem nostrum ex Heró-
dis gládio fuga in Ægy-
ptum eripere voluísti :
concéde nobis fámulis
tuis, beatíssima semper
Virgine ejus matre María
intercedénte; ut ab ómni-
bus mentis et córporis
pérículis liberáti, ad cœ-
léstem pátriam pervenire
mereámur. Per eúndem.

Ad Primam in R. brevi.

¶ Qui natus es de María
Virgine.

AD TERTIAM.

Capit. ut in Laud. [457]

R. br. Dóminus, * Tam-
quam sponsus. Dóminus.
¶ Procédens de thálamo
suo. Tamquam sponsus.
Glória Patri. Dóminus.

¶ Egrediétur Dóminus
de loco sancto suo. **R.** Vé-
niet, ut salvet pópulum
suum.

AD SEXTAM.

Capitulum. Ezech. xxx. b

HÆC dicit Dóminus
Deus : Dispérdam
simulácula, et cessáre fá-
ciam idóla de Memphis, et
dux de terra Ægypti non
erit ámplius, et dabo ter-
rórem in terra Ægypti.

R. br. Egrediétur Dómi-
nus, * De loco sancto suo.
Egrediétur. ¶ Véniet, ut
salvet pópulum suum. De
loco. Glória Patri. Egre-
diétur.

¶ Vidérunt omnes fines
terræ. **R.** Salutáre Dei
nostri.

AD NONAM.

Capitulum. Is. xvj.

INI consílium, coge con-
sílíum : pone quasi
noctem umbram tuam in
merídie; abscónde fugién-
tes, et vagos ne prodas.
Habitábunt apud te pró-
fugi mei : esto latíbulum
eórum a fácie vastatóris.

R. br. Vidérunt, * Omnes
fines terræ. Vidérunt.
¶ Salutáre Dei nostri.
Omnes fines terræ. Glória
Patri. Vidérunt.

¶ Verbum caro factum
est. **R.** Et habitávit in
nobis.

IN II. VESPERIS.

**Aña et Capitulum ut in
Laudibus. [457]**

**Psalmi ut in Festis B.M.V.
per Annum. [191]**

**Hymnus et ¶. ut in j. Ve-
speris. [451]**

Ad Magnif. Aña. Audiens
Joseph, quod Archeláus
regnáret in Judæa pro He-
róde patre suo, tímuit illo
ire, et admónitus in som-

nis, secéssit in partes Ga-
lilææ; et véniens habitá-
vit in civitáte, quæ vocá-
tur Nazareth, ut adimple-
rétur, quod dictum est
per Prophétas : Quóniam
Nazaræus vocábitur.

DIE XIX. FEBRUARIJ.

S. Conradi Placentini

Conf. Semiduplex.

**Omnia de Comm. Conf.
non Pont. [97] præter se-
quentia.**

Oratio.

ADesto Dómine suppli-
caciónibus nostris,
quas in beáti Conrádi
Confessorís tui solemni-
táte deférimus : ut qui no-
stræ justítiæ fidúciã non
habémus; ejus, qui tibi
plácuit, précibus adjuvé-
mur. Per Dóminum no-
strum.

**In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente;
in Quadrag. Beátus vir.
de Comm. ij. loco. [112]**

In II. Nocturno.

Lectio ib.



**Conrádus Placentiæ
nóbili génere na-
tus, ac venatióni**

**comprímis déditus, jussit
aliquándo vepres, ubi feræ
latébant, succéndi; sed
ultra, quam vóluit, vento
perlátus ignis próxima**

foedo vastavit incendio. Quo viso Conrādus in urbem latenter est ingressus; sed mox ad prætorum delata re, emissoque satellitio, homunculus infimæ plebis tamquam incendiï auctor comprehensus est, vique tormentorum falsa confessione expressa, damnatus ad supplicium rapiebatur. Tum Conrādus conscientia excitatus innocentem homunculum e carnificis manibus eripuit, sequereum confessus divenditis bonis illata damna compensavit, humanisque rebus una cum uxore nuntium remisit.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. **V.** Justum dedit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

CUM itaque uxor sacrum velum sumptura Placentiæ mansisset, ipse abiit in regionem longinquam, et Franciscani ordinis, qui Tertiatorum dicitur, assumpto habitu, Romam pervenit sacras

ædes visitaturus. Inde in Siciliam ad Netinos abiit, ubi aliquamdiu in sancti Martini xenodochio diversatus, in solitudinem secessit, in qua se inedia et precibus afflicto per annos quadraginta humi cubabat, nunc solo pane, nunc herbis tantum contentus, et dono prophetiæ miraculisque clarus. Crebras carnis ac dæmonis tentationes, gulaque blanditias corporis afflictatione atque assiduo precandi studio tam egregie vicit, ut vel esculenta munuscula, quæ ab amicis mitterentur, non prius attingeret, quam pùtrida jam et vermibus scatentia sensus ipse refugeret. Quin etiam túnica posita tamdiu nudos artus in vepræto volutabat, quoad effluente sanguine edendi ardor exstingueretur.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. **V.** Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum. — Et.

Lectio vj.

CUM autem sexta quæ feria in urbem ad imaginem Crucifixi,

quæ summa religione celebratur apud Netinos, adorandam mira pietate ventitaret, improbi quidam irrisores per eam occasionem religiosissimum virum ludos facere voluerunt. Itaque per simulationem ad prandium piscium invitato, carnem suillam apponunt, nec aliud ipsi manducant. Inde hominis improbitatem exagitare, vel simplicitatem cavillari. Negat ille se quidquam gustasse præter pisces; statimque spinas et squamas amota mappa, qua tegebantur, ostendit, et eorum impudentiam redarguit. Item ab Antistite Syracusano fama sanctitatis excito visitatus, et ab eodem, ut secum cœnaret, invitatus, protinus e cellula placentias quatuor calidas ex tempore divinitus paratas protulit; qui postea vicissim ad Antistitem Syracusas profectus, juxta episcopium plurimis aviculis circumvolitantibus, et ipsius adventum quodammodo gratulantibus mirabiliter exceptus est. His aliisque multis spectatæ sanctimonie indicis, ejusque precibus cœ-

lesti auxilio laborantibus, non solum indigenis, verum etiam alienigenis, eo præsertim anno, quo migravit in cœlum, millésimo trecentésimo quinquagesimo primo, sæpissime impetrato, commoti Leo decimus Pontifex maximus in Netina urbe primum; deinde Paulus eo nomine tertius, alibi etiam beati Conradi festivam diem undécimo Kalendas Martii quotannis celebrari permisere. Ejus corpus in argentea conditum arca in ecclesia sancti Nicolai apud Netinos variis adhuc miraculis enitescit.

R. Iste homo. [105]

In iij. Nocturno, Homil. Grandis fiducia. pro Abbatibus. [117]

DIE XXVI. FEBRUARII.
S. Margaritæ Cortonensis

Pœnitentis. Semiduplex.
Omnia de Communi nec Virg. nec Mart. [144] præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui famulam tuam Margaritam de perditionis via ad salutis tramitem misericorditer deduxisti: eadem nobis miseratione concede, ut

quam prius errantem sectari non erubimus, mox poenitentem impigre sequi gloriemur. Per Dominum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Quadrag. Lect. Mulierem. de Comm. [148]
In II. Nocturno.

Lectio iv.



Argarita, a loco dormitionis Cortonensis appellata, Laviáni in Túscia ortum habuit. Primis adolescentiæ suæ annis mundi voluptatibus capta, in montis Politiáni civitate vanam et lubricam vitam duxit; sed cum amasium ab hostibus fœde transfossum, indicio canis in fovea sub strue lignorum tumultum fortuito reperisset, illico facta est manus Domini super eam, quæ magno culpârum suarum moerore tacta, exiit foras, et flevit amare. Itaque Laviánem reversa, crine detonso, neglecto capite, pullaque veste contacta, erroribus suis mundique illecebris nuntium misit; inque ædibus Deo sacris, fune ad collum alligato, humi procumbens, ab omnibus, quos antea moribus

suis palam offenderat, veniam exoravit. Mox Cortonam profecta, in cinere et cilicio a se læsam Dei majestatem placare studuit, donec post triennale virtutum experimentum a fratribus Minoribus spiritalis vitæ ducibus tertii ordinis habitum impetravit. Uberes exinde lacrymæ ei familiæres fuerunt, atque ima suspiria tanta animi contritione ducta, ut diu elinguis consisteret. Læculus nuda humus, cervicalis lapis aut lignum porrexit, atque ita noctes insomnes in cœlestium meditatione trahere consuevit, nullum amplius pravum desiderium perpessa, dum bonus spiritus promptior infirmam carnem ad subeundos labores erigebat.

℞. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna. — Et.

Lectio v.

ADæmone insidiis, fustisque conatibus lacessita, mulier fortis hostem ex verbis detectum semel atque iterum invi-

cta repulit. Ad eludendum vanæ gloriæ lenocinium, quo a malo spiritu petebatur, præteritos mores suos per vicos, et plateas alta voce accusare non destitit, omni supplicio se ream inclamans: nec nisi a confessario deterrita, in speciosam faciem, olim impuri amoris causam, sævire abstinuit, ægre ferens suam formam longa carnis maceratione non aboleri. Quibus aliisque magnæ poenitentiae argumentis suorum criminum labe expiata, atque ita de se triumphatrix, ut sensus plane omnes a mundi illecebris custodiret, digna facta est, quæ sæpe Domini consuetudine frueretur. Eiusdem quoque Christi et Virginis Matris dolorum, quod ipsa ardenter expetierat, particeps facta, cunctis sensibus destituta, et vere mortua interdum visa est. Ad eam proinde veluti ad perfectionis magistram exdissitis etiam regionibus plurimi conveniebant: ipsa vero cœlesti, quo erat perfusa, lumine, cordium secreta, conscientias hominum, imo et peccata in remotis licet partibus

Deum offendentium cum dolore et lacrymis detegens, summaque in Deum et proximum caritate fervens, ingentem animarum fructum operata est. Ægris ad se venientibus salutem, obsessis a demone liberationem impetravit. Puerum defunctum, lugente matre, ad vitam reduxit. Imminentes bellorum tumultus assiduis orationibus sedavit. Denique summae pietatis operibus vivos et mortuos sibi demeruit.

℞. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. — Propterea.

Lectio vj.

TOT sanctis operibus occupata, de rigore quo assidue corpus suum exercēbat, nihil remisit, neque a studio cœlestia meditandi se avelli passa est, in utroque vitæ genere plane admiranda, utramque sororem, Magdalenam et Martham referens. Tandem pro se Dominum orans ut ex hac valle lacrymarum sursum in cœlestem patriam evo-

carétur, exaudita est oratio ejus, die atque hora dormitiónis ei patefactis. Méritis itaque et laboribus plena, ac cœlestibus donis cumulata, cœpit corpóris víribus destítui, perque dies decem et septem nullo cibo, sed divinis tantum collóquiis refecta est: tum sanctissimis Ecclésiæ sacraméntis rite susceptis, vultu hílari, atque óculis in cœlum convérsis, octavo Kaléndas Mártias anno ætátis quinquagésimo, suæ conversiónis vigésimo tértio, humanæ vero salutis millésimo ducentésimo nonagésimo séptimo, felix migrávit ad sponsum. Corpus in hanc usque diem végetum, incorruptum, illæsum, et suá viter olens summa religióne cólitur in ecclésia fratrum Minórum, quæ jam ab eádem Margarita appellátur. Miráculis continuo flóruit, quibus permóti Románi Pontífices ad augéndum ejus cultum plúrima liberáliter indulserunt. Benedictus vero decimus tértius in festo Pentecóstes, die sexta décima Maii anni millésimi septingentésimi vigésimi octávi, solénnem ejus ca-

nonizatiónem religiosissime celebrávit.

R. Fallax grátia. [153]

In iij. Nocturno, Homíliá. Cœlórum regnum. **de Communi non Virg.** [155]

Ad Bened. Aña. Ut cognóvit, * resipuit seráphici órdis Magdaléna: dimissa sunt ei peccáta multa, quia diléxit multum.

In ij. Vesp. ad Magnif. Aña. Ego dilécto meo, * et ad me convérsio ejus: invéni quem diligit ánima mea, ténui eum, nec dimittam.

DIE V. MARTII.

S. Joannis Josephi a Cruce,

Confessoris. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. [97] præter seq. **Oratio.**

DEUS, qui beátum Joán-nem Joséphum Confessórem tuum per árduas paupertátis, humilitátis, et paciéntiæ vias cœlesti glória sublimásti: da nobis, quæsumus; ut carne mortificáti, ejus imitémur exémpa, et gáudiis perfruámur ætérnis. Per Dóminum nostrum.

In Quadrag. fit Commem. Feriæ.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In Quadrag. Beátus vir. **de Comm. ij. loco.** [112]

In II. Nocturno.

Lectio ib.

Sclæ regni Neápolis in urbe apud Ænáriam insulam, paréntibus nobilitate sánguine, morúmque probitate præstantibus, ortus est Joánes Joséphus a Cruce. Christiánæ pietátis sémina, quæ in ejus animam, supérnis benedictiónibus præventam, cum lacte instilláverant, fructus mox ubérrimos attulerunt. Tenérrima adhuc puerilibus abhórruit, sed virtútes excólere cœpit illustrióres, siléntii potissimum, mortificatiónis, mundi suique ipsius abnegatiónis, quas assíduo oratiónis stúdio confóvbat. Déparæ cultum, quem ad óbitum usque in dies auxit, intérea témporis arrípuit; dominicæque passiónis, et Eucharístiæ mystéria afféctu peculiári prosequébatur. Sancti Petri de Alcántara institú-tum, quod Joánes de sancto Bernárdó ex Hispánis Excalceátis, Cleménte nono approbánte, nupérrime in Itáliam invéxerat, divi-

no afflánte Númine, anno vitæ suæ sextodécimo ampléxus est Italórum primus. Seráphico Patriárcha, fidissimóque ejus alúmno Petro de Alcántara in ipso tirocínio sibi ad imitándum propósisit, mirum quam perfécte pœniténtiam hujus, et contemplatiónem, humilitátem illius ac paupertátem, jam tum fúerit assecútus.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodívit eum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem ætérnam. **V.** Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

Tertio vix decúrso a solénni professióne sua anno, Pedemontáni Aliphæ cœnóbii fundatióni destinátur: quod ejus ópera exíguum ádeo evásit, ut altérius, quod olim in Pedróso Extremadúrae sanctus Petrus de Alcántara, cléricus ipse quoque, excitáverat, imáginem simillimam reférret. Sacerdótio ex obediéntia inaugurátus, disciplínis morálibus, quas nunquam perdidíerat, improvísó

excultus visus est. Superiorum vena, non longe ab eo cenobio, sacramerum exstruere agressus subter excelsi montis dejectu, ut absolveretur quam citissime, ligna, lapides, calcem humeris suis, mordaci lorica contectis, exportabat; ita ut per calcanea cruor ubertim in terram deflueret. Fratrum rogatu leges quasdam pro sacro illo recessu peculiarias condidit, dignas, quae a sede apostolica confirmarentur. Novitiorum regimini praepositus, eorum ad vitam regularem componere mores eo profectu enixus est, ut illorum aliqui sanctitatis et miraculorum fama inclaruerint. Verum cum Clemens Papa undecimus saeculi decimi octavi initio, fratres Italos Excalceatos ab Hispanis in regno Neapolis sejunxisset, illique nulla regiminis forma potirentur, ab eodem Pontifice, obsistente licet humani generis hoste, provinciae Neapolitanae, sancti Petri de Alcantara nuncupatae, erectionem obtinuit.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: sto-

lam gloriae induit eum, *** Et ad portas paradisi coronavit eum. V.** Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum. — Et.

Lectio vij.

Primus novae istiusmodi provinciae Minister renunciatus, regimen quod abdicaverat, sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium jussu assumere coactus, difficile relatu est, quot qualisque calumnias Dei famulo devorare opus fuerit, ut Italicam Excalceatorum fratrum familiam constabiliret. Rebus compositis, eo sese totum convertit, ut duplex ille Petri de Alcantara contemplationis, et poenitentiae spiritus altis inter suos radices ageret, quos praclarissimis virtutum exemplis anteibat, humilitate imprimis, rigidaque claustralis disciplinae custodia. Paupertate, et abstinentia enituit admirabili. Unicum ad nudam carnem sexaginta quatuor annis habitum adhibuit, perque viginti quatuor annos, priscorum Eremitarum ritu, pane tantum ac fructibus victitavit, quod edulii genus ex obedientia in nauseo-

sum commutavit ferulum. Flagellis asperissimis, cilicii, et cruce ferrea acutis instructa clavicularum, corpus suum dilaniabat. Illud etiam de eo fertur, quod creberrimas inter orandum ecstases passus est, quodque raptibus, prophetia, miraculis, aliisque hujusmodi supernaturalibus donis vivens claruerit. Denique zelo animarum absumptus, octogenarius, apoplectico morbo correptus, tertio Nonas Martias in osculo Domini obdormivit in cenobio sanctae Luciae Montis urbis Neapolis anno septingentesimo trigesi-

mo quarto supra millesimum. Eundem novis miraculis coruscantem, anno ab illius decessu quinquagesimo sexto, Pius sextus Pontifex maximus Beatorum albo recensuit: et Gregorius Papa decimus sextus solenni ritu Dominica sanctissimae Trinitatis anno millesimo octingentesimo trigésimo nono Sanctorum fastis ascripsit.

R. Iste homo. [105]

In iij. Nocturno, Homilia. Pusillum gregem. **de Communi ij. loco.** [115]

In Quadrag. Lectio ix. et Commem. Feriae in Laudibus.

